



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
CATARRHO.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES BARROW,
ANGLUS.

Soc. Physic. Edinen. Soc. Honorar.
Et Soc. Chem. Soc.

Principiis obsta, fero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

OVID.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXV.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PRESS

CHICAGO, ILL.

1903

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO

BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL.

1903

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO

BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL.



J O A N N E S B A R R O W,

Viro honestissimo,

J O A N N I B A R R O W,


De GATEACRE, in comitatu LANCASTRIENSI,

A R M I G E R O,

S. P. D.

Hanc solam forsitan, Pater optime, occasionem, quae mihi per totum vitae decursum sese unquam offeret, quam artis amoris vinculis memet tibi obligaveris, et quam beneficiorum tuorum, quae tot sunt, quot non facile possunt recenseri, memor sum, testandi gratus et lubens arripio. Me, nimis mature, pro dolor! matre excellente et amantissima orbatum, teneris ab annis ad tempus praesens usque, amore vere paterno constanter fovisti, omnibus commodis providus consuluisti, et temet, omni in re, parentem sollicitum et indulgentem gessisti. Non est, nec quidem unquam erit opis meae beneficia, quae in me conferenda curaveris ullo modo pensare. Nihil igitur aliud restat, quam ut ex animo sincero precer, ut omnia, quae a viro bono et sapiente debeant exoptari, tibi abunde contingant, ut diu non tantum vivas, sed vita spatium per annorum longissimum, et in mei et in sororis unicae amabilis solatium, ab omni parte felix beatique fruaris. Vale.

EDINBURGI, 6to Idus Septembris, }
ANNO S. H. 1785, dabam. }



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATARRHUS.

HIC morbus a Graeco vocabulo *καταρρῆς*, quod Graeci, qui primi medicinam diligenter excolere coeperunt, sed structuram et cranii infimi, et faucium ipsarum veram magna ex parte ignorasse videntur, eum ab humore a cerebro, in cavum narium fauciumque defluente pendere existimaverunt, nomen sibi deduxit. Romani quoque, vestigiis Graecorum insistentes, *desillatio* morbo nomen incidere, adeo ut hinc manifeste appareat, causam morbi et naturam et hos et illos ex aequo latuisse. Idem nomen, licet haud dubie parum idoneum sit, utpote quod sedem morbi ne quidem obscure designet,

A

apud

apud hodiernos adhuc in usu est, qui tamen, ea est hujusce aetatis doctioris et cultioris gloria et honos, notionem morbi multo justiore clarioremque habent.

DEFINITIO MORBI.

Sic autem sese habet *Sauvagesiana*, ‘ Collo vicinarum partium dolor a frigore suscepto, cum tussi, coryza,’ &c. ; sic *Vogeliana*, ‘ Tussis frequens, acris, cum raucitate.’ Hae definitiones utraeque, hoc, pace auctorum illustrium, dicere liceat, mancae et imperfectae sunt, quod nullam pyrexiae, quae semper adest, nullam naturae ejus, quae variare consuevit, mentionem faciunt, quodque sedem morbi silentio ex toto fere praetereunt, vel saltem eandem admodum obscure commemorant. Quod vero illis deest, id optime supplet Cullenus, nosologorum accuratissimus, qui definitionem subsequenter in Synopsi sua Nosologica tradendam curavit : ‘ Pyrexia contagiosa ; mucii, ex glandulis membranae narium, faucium, vel bronchiorum, excretio aucta ; saltem hujus excretionis molimina.’

HISTORIA.

H I S T O R I A.

A signis frequentibus morbus incipere consuevit ; horribus huc illuc vagantibus, sensu frigoris et caloris alterno, extremorum torpore, alvo adstricta, desiderio urinam, quae tamen parvis quantitatibus excernitur, reddendi frequenti, dolore capitis non acuto, sed idem quasi degravante. Non sine aliqua difficultate per nares spiratur, et sensus plenitudinis, quasi cavum earundem obturantis, subest. Oculi aegrius solito vertuntur, et minus facile quam olim devoratur, dum appetitus nondum profternitur. Calor pungens et in naribus et in faucibus sentitur, cui sub initium magno sensus immodicae siccitatis adjungitur, et nihil omnino e naribus vel faucibus adhuc excernitur. Oculi praeter consuetudinem pleni evadunt, et igitur nimis distensi dolent. Spatio viginti quatuor horarum aut circiter finito, humor tenuis e naribus, et aliquando ex oculis, incipit profundi, aliqua ex parte acris, ut sapor ejus, et hoc, quod partes in quas labitur erodit, clare perspicueque demonstrant. Febris noctem versus
ingravescit,

ingravescit, et somnus magnopere perturbatur; sed noctem post mediam somnus obrepit non parum exoptatus, et, mane appetente, proclivitas ad sudorem plerumque semet ostendit.

Haec signa raro diu manent, antequam illis adjici solent plus minusve raucitatis, rubor faucium inusitatus, asperedo dolorque tracheae levior, quae sese in totam ejus longitudinem diffundunt, spiritus solito difficilior, qui sensui angustiae thoracis tribuitur, et tussi molesta, quae ab aliqua irritatione circa glottidem percepta videtur proficisci, stipatur. Tussis circa initium sicca est, dolores thoracis, qui ita, quasi fascia arctior ei circumdaretur, contractus esse videtur, potissimum sub sterno, movens. Signis modo comprehensis nonnunquam accedunt dolores, rheumatismi proprios referentes, qui partes corporis diversas, praesertim collum caputque, tenent. Sub hoc tempus appetitus imminuitur, nonnihil fitis oritur, et lassitudo corporis universa sentitur. Si sanguis nunc detrahatur, eandem, quam in synocha, speciem praese fert, crusta, inflammationis indice, magis minusve tenace obiectus.

Cura

DE CATARRHO.

Cum signa supra posita semet ostenderunt, morbum jam constitisse, et brevi inclinatum iri testantur. Tussis gradatim excretionem mucosam copiosam incipit slipari, qui prius tenuis est, deinde, spatio temporis exiguo interposito, crassior evadit, et tussi minus frequente et laboriosa excreatur. Raucitas dolorque tracheae levior quoque decedunt, signa febrilia imminuuntur, tussis minus frequens sputumque minus copiosum evadit, et morbus post tempus non ita longum ex toto cessare solet *.

Sic sese plerumque habet hujusce morbi decursus, nec longus, uti auctor modo citatus ait, nec periculosus. Caeterum nonnunquam eventus longe diversus est. Namque, si aliquis hoc morbo conflictans, qui facilius solito ab aëre frigido detrimentum capere videatur, frigori rursus objiciatur, morbus, qui regimini idoneo medicamentisque in auxilium ejus promptis cedere videbatur, saepe repetit, graviorque, quam ante, evadit, spatium multo longius multoque plus periculi habens, quod aliis morbis fundamenta jacere potest.

Aliquantum

* Vide Cullen's first lines of the practice of physic.

ingravescit, et somnus magnopere perturbatur; sed noctem post mediam somnus obrepit non parum exoptatus, et, mane appetente, proclivitas ad sudorem plerumque semet ostendit.

Haec signa raro diu manent, antequam illis adjici solent plus minusve raucitatis, rubor faucium inusitatus, aspreo dolorque tracheae levior, quae sese in totam ejus longitudinem diffundunt, spiritus solito difficilior, qui sensui angustiae thoracis tribuitur, et tussi molesta, quae ab aliqua irritatione circa glottidem percepta videtur proficisci, stipatur. Tussis circa initium sicca est, dolores thoracis, qui ita, quasi fascia arctior ei circumdaretur, constrictus esse videtur, potissimum sub sterno, movens. Signis modo comprehensis nonnunquam accedunt dolores, rheumatismi proprios referentes, qui partes corporis diversas, praesertim collum caputque, tenent. Sub hoc tempus appetitus imminuitur, nonnihil litis oritur, et lassitudo corporis universa sentitur. Si sanguis nunc detrahatur, eandem, quam in synocha, speciem prae se fert, crusta, inflammationis indice, magis minusve tenace obiectus.

Cum

DE CATARRHO.

Cum signa supra posita semet ostenderunt, morbum jam constitisse, et brevi inclinatum iri testantur. Tussis gradatim excretionem mucosam copiosam incipit stipari, qui prius tenuis est, deinde, spatio temporis exiguo interposito, crassior evadit, et tussi minus frequente et laboriosa excreatur. Raucitas dolorque tracheae levior quoque decedunt, signa febrilia imminuuntur, tussis minus frequens sputumque minus copiosum evadit, et morbus post tempus non ita longum ex toto cessare solet *.

Sic sese plerumque habet hujusce morbi decursus, nec longus, uti auctor modo citatus ait, nec periculosus. Caeterum nonnunquam eventus longe diversus est. Namque, si aliquis hoc morbo conflictans, qui facilius solito ab aëre frigido detrimentum capere videatur, frigori rursus obijciatur, morbus, qui regimini idoneo medicamentisque in auxilium ejus promptis cedere videbatur, saepe repetit, graviorque, quam ante, evadit, spatium multo longius multoque plus periculi habens, quod aliis morbis fundamenta jacere potest.

Aliquantum

* Vide Cullen's first lines of the practice of physic.

Aliquantum cynanches tonsillaris catarrhum saepe comitatur ; et, si hic frigore rursus collectio intendatur, illa quoque, ob tussim quae eodem tempore subest, gravior et violentior evadit.

Hic morbus duas in species divisus est, quarum una a frigore, altera a contagione specifica proficiscitur. Haec, in aliqua Europae regione epidemice grassari primum incipiens, semet summa rapiditate in omnes reliquas brevi saepe diffudit, eadem fere signa constanter habens. Quinetiam fines Europae, sibi nimis angustos esse quasi existimans oceanum Atlanticum longe lateque patentem transiit, Americamque invasit, omnes illius continentis spatiosae partes, quibuscum aliquid commercii nobis intercedit, invisens, hospita perquam ingrata. Hoc saepe ante, hoc anno 1732 praecipite et 1733 incipiente, hoc aestate et autumnno 1782, hoc multis aliis denique temporibus enumeratu longioribus fecit, in plerosque gravissime saeviens. Cum Edinburgi anno 1782 epidemice grassaretur, hoc admodum fuit notabile, eos, quibus minus aetatis accesserat, magis quam alios, adversus contagionem fuisse tutos. Conditio, uti accepi, scholae Regiae Edinensis exemplum hujus luculentum praebebat. Pauci e clas-

sibus

libus junioribus, plurimi ex aetate provectioribus, in morbum inciderunt. Hoc explicatu minime facile. Si vero in memoriam revocetur, tussim convulsivam eodem tempore pueros juniores, ut solet, graviter exercuisse, causa forsitan non ex toto deesse videbitur, cur unum morbum ab altero, si revera unquam fuerint conjuncti, difficillime secerni potuisse suspicemur.

Cum excitatur contagione catarrhus, eadem fere signa, quae supra recensuimus, habet. A frigore collecto proficisci saepe videtur. Ab horroribus violentioribus, quam cum a frigore solo oritur, incipit, et signa febrilia citius, et graviora quoque ostendit. Igitur decursum breviorum habet, qui paucis diebus plerumque finitur. Ut catarrhus frigore motus alios aliter solet afficere, sic hic, ut hac in urbe fuit nuper animadversum anno 1782, in aliis aegrotantibus signa febrilia, cum tussi fere nulla vel modica dedit, dum in aliis febris tussim molestissimam adjecit. Aliquando sudore spontaneo ad finem perducitur, qui nonnullis in aegrotis eruptionem, miliariae propriam, generare fuit notatus. Signa vero hujusce morbi febrilia tantum paucis diebus finiuntur; namque tussis aliaeque catarrhi notae saepe diutius manent, et non raro, cum de-

cedere

cedere videntur, frigore corpori rursus admoto renovantur*.

D I A G N O S I S.

Tres tantum morbi sunt, rubeola nempe, tussis convulsiva, et phthisis pulmonalis incipiens, quos inter et catarrhum aliquid similitudinis intercedere videtur.

1. *Rubeola*.—In paucos dies sub initium signa hujus, et catarrhi semet invicem tantopere referunt, ut unus morbus ab altero difficillime possit fecerni. Si vero rubeola totam viciniam infestet, longe lateque sese diffundens, si aegrotus, de cujus morbo dubitetur, ea nunquam ante fuerit colluctatus, si ad aliquos ea laborantes prope accesserit, si sternutatio frequenter invadat, si humor ex oculis largiter profundatur, si oculi admodum pleni et distensi rubescant, si tussis sicca et rauca sit, si anxietas maxima sit, rubeolam, non catarrhum, adesse conjicere licet; et hanc conjecturam plerumque firmabunt brevi erumpentes papulae exiguae, confertae, vix eminentes.

2. *Tussis*

* Vide Cullen's first lines, vol. 3. p. 97.

2. *Tussis convulsiva.*—Hanc, non catarrhum, subesse licet suspicari, si epidemice grassetur, si aegrotus ea nunquam ante fuerit tentatus, et ei non multum aetatis adhuc accesserit; si, sub initium, quod saepe in tussi convulsiva, nunquam in catarrho, incidere solet, nulla ex parte febricitet; si inspiratio post tussiendi paroxysmum sonora fieri et iterari incipiat. Si tussis, denique, ex intervallis bene longis redeat, et, post aliquantum temporis, speciem convulsivae prae sese ferre incipiat, de natura morbi non diutius ambigi potest.

3. *Phthisis pulmonalis incipiens.*—Ab hac, quae tantam juventutis Britannicae, eamque pulcherrimam et ingeniosissimam partem, rapere consuevit, catarrhum evidenter clareque distinguere posse in primis exoptandum est. Si hoc pro certo fieri posset, morbo venienti maturius occurreretur, et ad regionem calidiorum, cujus temperies constantior magisque aequabilis est, tempestivius, in quo solo praesidium efficacissimum esse videtur, confugeretur. Nihil enim parumve commodi ab hoc serius facto sperandum.

Si tussis brevis, sicca, et obscura, si ita loqui liceat, recens, et non inveterata, sit; si aeger ipse eam frigori ne-

queat tribuere; si eidem sint proclivitas ad phthisin hæreditaria aut congenita, habitus scrophulosus, collum longius, prava pectoris conformatio, temperamentum sanguineum, febris catarrhi propria concitior, spiritus quolibet motu corporeo difficilior redditus, dolores thoracis molesti; causa non deest, cur phthisin jam incepisse suspiceris. Discrimina vero sola catarrhi phthifiosque incipientis, quibus fides debet haberi, a natura materiae, quae excernitur, et febris, quae adest, petenda. Mucum igitur innocuum a pure formidabili internoscere et fecernere conandum est. Hoc sequentia, uti speramus, aliqua ex parte præstare valebunt.

1. *Color materiae.*—Mucus pellucidus est *, pus semper opacum. Si ille, quod nonnunquam incidit, opacus evadit, colorem sibi album, flavum, vel subviridem assumit, quorum ultimus nunquam aequè in muco, ac in pure, insignis.

2. *Spissitudo.*—Mucus magis viscidus est magisque cohaeret, quam pus, quod magis friabile esse dici potest. Si mucus in aquam conjicitur, non facile diffunditur, sed

massis

* Vide Cullen's first lines, § DCCCLVI,

massis rotundioribus, eandemque formam habentibus, conjunctus manet; sed pus in eandem immisum, quanquam non prompte diffunditur, non manet adeo aequaliter conjunctum, et modica agitatione in fragmenta lacera discernitur.

3. *Odor.*—Hippocrates, et in hoc plerique recentiorum eum secuti sunt, factorem, quem materia in prunas insputa emitteret, pro signo puris indubitato habuit. Nihil vero fiduciae in hoc collocandum est, quod et mucus et pus, et omnes denique humores animales, eidem examini subiecta, plus minusve factoris praebere consuerunt.

4. *Gravitas.*—Mucus pulmonum aquae superficiae innatare, dum pus subsidere solet. Experimentum vero fallax. Namque pus, cui multum aëris admiscetur, natat, et mucus, ut ventriculi urethrae proprius, qui eodem destituitur, vel pulmoneus etiam, a quo fuit disjunctus, fundum petere potest, ut experimenta viri eruditi Doctoris Georgii Fordyce manifeste demonstrant*.

5. *Mistura.*

* Vide dissertat. inaug. Edinburgi, anno 1758 editam, et exp.

5. *Misfura.*—Si aliquid flavum vel subviride excernatur, quod aliquanto materiae translucidae, vel minus opacae minusque coloratae, circumdatum esse videatur, materia coloratior pro pure plerumque haberi potest. Namque intellectu difficile est, quo modo pars mucii pulmonum tantopere possit mutari, reliquo parum mutato, vel omnis mutationis experte.

6. *Quaedam ei, post excretionem, adjuncta.*—Juvenis ingeniosus, Carolus Darwin, qui, proh dolor! hac in urbe, ante pauculos annos, morte immatura praereptus est, exemplo forsitan Doctoris Fordyce supra commemorati excitatus, nonnulla experimenta et in mucum, cujus folius naturam indagaverat vir doctus modo positus, et in pus, instituenda curavit. Horum autem exitus sic sese habuit. Acidum vitriolicum et mucum et pus, sed hoc facilius, dissolvebat. Aqua muco hunc in modum dissoluto adjuncta, mucus separatus vel superficiei innatavit, vel in flocculos divisus in liquore suspensus fuit. Aqua, contra, puri simili modo soluto addita, pus ima petivit, vel agitatione diffusum liquorem ex aequo turbidum exhibuit. Alkali fixum causticum, post aliquantum temporis, mucum semper, pus plerumque, dissolvit. Aqua, solutionibus hujusmodi admista, pus, non mucus, praecipitavit.

Si

Si haec experimenta ad ea decurrentes, nunquam fallere reperientur, quod per longum seculorum decursum frustra fuit exoptatum, id tandem feliciter inventum. Mucus enim expectoratus catarrhum, qui sanabilis, pus phthisin pulmonalem, quae plerisque in exemplis lethalis, adesse significat.

Praesagium vero certissimum et maxime indubium, iudicio quorundam doctorum, qui de medicina optime merentur, a natura febris, quae subest, adhuc petendum. Hectica absens aegrotum catarrho tantum, praesens vero phthisi, laborare demonstrat. Haec febris autem signa sequentia habet.

Speciem remittentis exhibet, et bis die intenditur, prius sub meridiem, aliquando paulo citius seriusve, et circa horam quintam pomeridianam leviter remittit; deinde brevi gravior rursus evadit, gradatim, donec nox praeterierit media, augetur. Post horam vero secundam matutinam minuitur, et aegrotus, prout mane appetit, magis magisque levatur. Dum febris ingravescit, non nihil horroris invadit; aegrotus saltem aëra frigidum acutissime sentit et reformidat, calorem externum cupit, et sensum frigoris saepe conqueritur, dum cutis, ut thermometrum

mometrum demonstrat, praeter naturam calet. Ex hisce paroxysmis, vespertinus semper gravior.

S E M I N I U M.

Quaecunque autem corpus debile et irritabile reddunt, ea homines ad catarrhum proclives efficiunt. Debilitas vero et irritabilitas, quae fundamenta huic morbo jaciunt, sunt vel ingenitae vel acquiritae. Hinc fit, ut habitu corporeo imbecilliores, et, ob labem haereditariam, vel conformationem thoracis pravam, ad phthisin proniores in catarrhum incidere periclitentur. Eodem periculo minime vacant, quibus vires convulserint, morbi diuturniores, inanitio nimia, jejunium longius, lucubrationes, vigilia protractior, venus immodica, potatio liberior, affectus animi sedantes. Quinetiam homines, inter dormiendum, et vitam sedentariam agentes, quibus ictus articularum, quantum et ad vires et ad celeritatem attinet, imminuuntur, frigus facillime colligunt. Quod vero Britannos huic morbo in primis opportunos reddere videtur, id est conclavia, in quibus plurimum temporis hyeme consumunt, praeter modum calefacta. Non enim, in
morem

morem prudentiorum continentis Europae incolarum, vestimentis calidioribus pellibusque animalium villosis, quae temperiem corporis aequalem conservant, igiturque id nimio calore non relaxant, sed modico fovent, frigus hyemale defendunt; sed semet adversus intemperiem coeli ligna, aut carbones super foco largius reponendo, tutos efficere conantur. Hanc ob rationem, cum in publicum prodeunt, calore domorum nimio debilitati et irritabiles redditi, vim frigoris acutissime sentiunt, et in ipsum morbum, quem arcere voluerant, praeconi ruunt. Quod rem ita sese habere clare evidenterque testatur, est hoc, quod ii, qui in contrariam se a frigore defendendi rationem procedunt, modicos domi focos habent, multum sub dio versantur, semet omni tempestatis generi libere audacterque committere non dubitant, et etiam lavatione frigida utuntur, catarrho rarissime laborant. Qui rus tenent, et in operibus necessario foris peragendis frequenter occupantur, ii noxas frigoris vix unquam conqueruntur, et in catarrhos incidere minime periclitantur. Exemplum viri generosi probe novi, qui singulis annis in modum miserandum catarrho vexatus, monitu medici prudentis, rationem vitae ex toto mutavit; non amplius se domi continuit, sed sine metu diebus frigidissimis foras prodiit, frigida quotidie lavatus est, et, ex eo tempore, morbo om-

nino caruit. Idem quoque in pueris, qui balneo frigido a partu usque infueverunt, notari solet. Nihil igitur consuetudine veterum Italorum ad catarrhum defendendum melius accommodatur.

————— ‘ Natos ad flumina primum,

‘ Deferimus faevoque gelu duramus et undis.’

VIRG.

CAUSÆ EXCITANTES.

Hae autem sunt frigus et contagio.

1. *Frigus.*—Hoc superficiei corporis admotum, eam plane constringit, spalmoque afficit, et quantitatem igitur materiae, quae e vasculis cutaneis constanter effunditur, imminuit, cursum ejus insolitum glandulas membranae narium, faucium, vel bronchiorum, mucosae versus faciens. Namque moris est virium naturae medicatricium, quae sanitati humanae invigilare videntur, alia secretionem suppressa, detrimentum inde captum aliam adaugendo pensare conari; quod non semper, ut in hoc ipso exemplo videre est, sine periculo fit,

Antequam

Antequam vero effectum hujuscemodi edere, vel morbum movere, frigus potest, certae ejus conditiones adsint oportet. 1. Certum thermometri Farenheiteani gradum adaequet necesse est. Calor autem corporis humani, fanitate substante, gradui nonagesimo octavo ejusdem thermometri respondet. Igitur omnia corpori ejus refrigerandi causa admota infra hunc gradum sint oportet, alioquin nullum effectum edent. Experientia vero testatur, non tantum infra hunc esse, sed etiam infra sexagesimum secundum descendere oportere. Namque corpus humanum, cui vis caloris generandi insita est, licet aër et alia eo multo frigidiora ei circumdentur, calorem proprium ad gradum nonagesimum octavum, supra comprehensum, sustinere posse reperitur. Immo tantum absunt ea quae temperiem gradum sexagesimum secundum exsuperantem habent, ut corpus frigidius efficiant, ut, contra, calorem ejus adaugeant. 2. Per spatium non breve admoveatur oportet. Si frigus etiam intensius, per spatium temporis modicum tantum corpori applicatur, nullum morbum movebit; namque potestas caloris generandi, qua systema animale praeditum esse supra posuimus, actione frigoris cessante, calorem partis affectae cito restituet. Quod hoc modo praestare videtur. Circuitus sanguinis, in vivo corpore nunquam non pergens, humores

superficiei refrigeratos in corporis interiora brevi devehit, et in locum eorum calidiores, a fontibus internis adductos, sufficit, adeo ut calor amissus spatio admodum exiguo reparetur. Igitur frigus, nisi diu admoveatur, corpus humanum nulla noxa graviore afficiet; longum per tempus vero applicatum ei magnopere nocet, ut catarrhus violentus, dum frigidis, ut faxis, diu incaute infidetur, saepe excitatus clare testatur. 3. Si humiditas ei adjungatur, in corpus multo potentius agit. Si humiditas systemati admota corpore ipso aliquanto frigidior sit, per calorem corporis in vaporem brevi conversa frigus, uti nullum philosophum fugit, magnopere intendet. Hanc ob causam vestimenta imbris madefacta, vel indusia, &c. sudore humectata, et, antequam exuuntur, exsiccari permessa, injuriam gravissimam mortalibus saepe intulerunt. Omnes igitur, qui catarrhos effugere volent, humiditatem frigori adjunctam, quantum in sese est, constanter evitent. 4. Frigori vix obfisti potest, si per fluentum aëris applicetur. Mirum est, quantopere frigus corpus afficiat, hoc modo admotum. Dum sub dio, aëre non sub forma fluenti moto, quamdiu alicui libuerit, impune ambulari potest, impetum ejusdem per aliquem locum longum et angustiore violenter, ruentis nulla corporis firmitas, utcunque magna sit, tolerare valet illaesa, potissimum

mum

nam si flatur, eoque vigor circuitus sanguinei imminuitur. Hic validus et sanguis ad vascula extrema, usque propulsus noxis frigoris, ut omnes norunt, potenter occurrunt. Nemo synocha laborans, nemo mania violentiore exagitatus, a vi frigoris aliquid detrimenti capit. Nihil proclivibus ad catarrhum plus terroris incutere debet, quam aër per rimas ostiorum, fenestrarum, parietum irruens, qui morbum saepe insperato movet. 5. Si calorem frigus subite excipiat, hoc actio ejus multum intenditur. Res aliter sese habere nequit; namque corpus humanum calore relaxatum et irritabile redditum multo facilius, quam alio tempore, laedi consuevit. Frigus ei ita affecto applicatum non tantum parti, cui admoveatur, spasmus infert, sed eundem in corpus universum saepe diffundit, in morem epispasticorum, quae, licet uni tantum parti applicentur, effectus suos antispasmodicos, et salutare, in febribus in partes systematis longissime distantes, edunt. Si nobiscum attenti reputamus, quam mutabile et inconstans sit coelum Britannicum, quoties, etiam eodem die, potissimum mensibus vernis, frigus calore calorque frigore mutetur, quoties a frigore intensissimo ad summum et fere intolerabilem calorem puncto temporis propemodum transeat, non erit cur miremur, catarrhum incolas hujusce insulae tam graviter, tamque frequenter infestare.

Frigus

Frigus quoque vespertinum, quod, apud plagas calidiores, calores meridianos gravissimos excipit, ob rationem modo positam, cohortem morborum, qui multa mortalium milia rapere consueverunt, assidue progignit.

2. *Contagio.* Haec haud dubie, ut in historia fuit notatum, morbum saepe movet. Ubi vero primum oriatur, quomodo in corpus agat, cur impetum humorum ad membranam narium, faucium, vel bronchiorum mucosam potius, quam ad alias systematis partes, faciat, nos ex toto latet, et posteros quoque latebit, nisi labor improbus casusve felix naturae contagionis, quae aciem mentis humanae hucusque fugit, lumen, omnibus quidem votis exoptandum, offundet. Contagia quoque, quae alios excitent morbos, ex aequo ignoramus. Cur tussis convulsivae proprium systema pulmoneum, cur dysentericum canalem alimentarium afficiat, nullo modo explicare valemus.

C A U S A P R O X I M A.

Effectus autem manifestus et evidens seminii et causarum excitantium, quae supra fuse depingenda curavimus, est

est curfus humorum inufitatus et morbidus, glandulas membranæ narium, faucium, vel bronchiorum mucosæ verfus factus, qui haud dubie pro caufa proxima habendus est. Huic adjungitur nonnihil inflammationis partium laborantium, ut fanguis catarrho laborantibus detractus plane demonftrat, qui eadem crufta coriacea, quæ in phlegmafis femet ostendit, plerumque obtegatur.

EXPLICATIO SIGNORUM.

Praecipua tantum ex hisce explicare conabimur, nec ea quidem, utpote quæ magna obfcuritate minime involvantur, longæ illustrationis indigent. Dolor capitis a curfu fanguinis nimio idem verfus factus, et vafa fanguifera præter confuetudinem diftendente et irritante, plane proficifcitur. Ab eadem caufa pendent lachrymae ex oculis fine voluntate copiofe profusæ. Ab impetu fanguinis, modo comprehenfo, qui membranam narium, faucium, vel bronchiorum, verfus fit, mucii e glandulis harum partium excretio aucta oritur; namque omnes glandulae quantitate fanguinis infolita, ad fe adducta ftimulatae et irritatae, plus humoris fibi proprii, quam fanitate fubftante, fecerunt.

nunt. Sensus angustiae narium a membrana earundem Schneideriana per inflammationem tumefacta, spiritus difficilis a tunica tracheae interna eandem per causam distensa, iterque coangustante, tussis ab acrimonia mucis, qui copiosius solito secretus acris semper evadit, membranam tenuissimam modo positam irritante, ortum deducit. Quinetiam ab acri muco, membranam Schneiderianam irritante, profluit sternutatio. Sensum caloris et siccitatis narium fauciumque, sub initium morbi, faciunt actio vasorum adaucta et excretionis mucis defectus; namque mucus, nisi post spatium temporis longius breviusve, copiose excerni non incipit.

P R O G N O S I S.

Si nobiscum reputamus, quot et una et altera catarrhi specie corripiantur, et ex eo, sine ullo incommodo, celeriter emergant, morbus pro parum periculoso haberi potest. Si illi, qui hunc in morbum incidant, alioquin sani, et non multum aetate provecti sint, morbus plerumque levis est. Morbum decedere semper testantur, eruptiones nasi et labiorum, mucus narium et tracheae spissior, sputum

tam non amplius difficile ; fudor univerfus, fpontaneus ; diarrhoea lenis. Exempla ab Hoffmanno celeberrimò memoriae produntur, ubi morbus per excretionem urinae adauctam fuit fublatus ; fed multi medici, artis Apollinae peritiffimi, fe nulla hujusmodi vidiffe fatentur. Morbus plerumque non aliter, quam fputo faciliore, et materia, quae excreatur, magis vifcida redditis finitur. Cum perfpiratio liberior morbum ad finem perducit, humiditas lenis potius, quam fudor profufus, oritur.

Quandocunque morbus anginae adjungitur, fpiritumve difficilem reddit, femper timendus eft exitus. Periculofiffimus vero finis eft pulmonum inflammatio. Igitur morbus pro pneumonia habendus, et eodem modo curandus, fi femet oftendunt fpafmi et conffriktionis pulmonibus illatae fenfus, fpiritus difficilis, calor adauctus, ictus arteriarum celeres et validi. Si ei, rebus ita fe habentibus, non tempeftive et efficaciter occurratur, fuppuratione, vel tuberculis exiguis durisque, quae phthifi pulmonali futurae jaciunt fundamenta, finiri periclitatur. In proclivibus quoque ad phthifin, haemoptifyfin, et in iis, quibus tubercula ante fuerunt, horum fuppurationem, et igitur ad extremum phthifin pulmonalem, movere potefl. Multis, prout aetate progrediuntur, potiffimum cum fenectus
tem

tem attigerunt, mucus pulmonum naturalis majore quantitate effundi consuevit, et igitur frequenter expectoretur necesse est. Si homines hujusmodi igitur catarrhus invadat, et cursum humorum ad pulmones adactum, cum aliquanto inflammationis faciat, ne peripneumoniam notam, quae in exemplis hujusmodi plerumque funesta est, excitet, periculum minime deesse videtur. Namque, ut, in peripneumonia vera proveciore, pars massae sanguineae integra subito effusa aegrotum, vesiculas aëriferas comprimendo, spiritumque igitur intercludendo, momento nonnunquam occidit, sic, in hac, quantitas humoris serosi magna et inusitata e bronchiis, in cavum pulmonum insperato excreta, senem miserandum eodem modo crudeli saepe consumit.

R A T I O M E D E N D I.

Curatio autem catarrhi, sive a frigore, sive a contagione proficiscatur, fere eadem est. Memoria vero tenendum est, remedia in exemplo posteriore, quam in priore, plerumque magis esse necessaria. Consilia medendi sunt quatuor.

1. Diathesis

DE CATARRHO.

1. Diathesin phlogisticam tollere.
2. Secretionem mucii liberam reddere et promovere.
3. Acrimoniam mucii corrigere, vel irritationem inde ortam removere.
4. Circuitum sanguinis in omni parte aequabilem effitere, et, ut e superficie corporis libere rursus perspiretur, agere.

Quantum ad *primum consilium* attinet, si morbus levis sit, et diathesis phlogistica non evidenter dominetur, ad morbum depellendum plerumque sufficet, frigus vitare, cibo animali in aliquot dies abstinere, vel forsitan cubare, et potionem aliquam mitem et diluentem, modice calefactam, frequenter adhibere, quo sudor admodum lenis elicitur, et denique, hisce factis, ad usum aëris externi gradatim tantum redire.

Si vero morbus sit gravior et violentior, regimen anti-phlogisticum non tantum stricte adhibendum est, sed remedia varia quoque necessaria evadunt.

DE CATARRHO.

1. *Sanguinis detractio.*—Haec in omni catarrho leviori minime adhibenda est, quod, uti experientia, dux optima et magistra medicorum, evidentissime docet, morbum potius producit, quam tollit. Hoc corpus relaxando praestare videtur, et omnia debilitantia eundem effectum edunt. Si vero signa pyrexiae concitatoris manifesta subint, si dolor in aliqua thoracis parte sentiatur, si aliquid anginae spiritusque difficilis accedat, ad missionem sanguinis momento confugiatur. Haec, pro gravitate signorum, et donec diathesis phlogistica plane fuerit debellata, quod sequelis morbi nimis saepe periculosis efficacissime occurrit, reiteranda. Detractio sanguinis satis copiosa, ut Hoffmannus multique alii viri clari testantur, non tantum diathesin phlogisticam tollit, sed superficiem corporis, quod hoc in morbo summi momenti est, vi sua antispasmodica longe lateque relaxat.

2. *Epispastica.*—Quandocunque affectus pulmonum inflammatorii non parvi esse videntur, ad epispastica decurrere convenit. Si morbus nares faucesque tantum afficit, parum sunt necessaria. Omnes etenim catarrhi leviores nullas omnino evacuationes requirunt; sed cibo leviori, abstinentia, exercitatione modica commodissime depelluntur. In aetate provectoribus, debilibus, et pueris, cavendum

dum est, ne abstinencia sit nimia. Vis vitae aliquando per hanc adeo fuit imminuta, ut nunquam postea restitui potuerit. Multi quidem exercitationem catarrho communi inimicam esse contendunt. Pace vero eorum liceat affirmare, catarrhum, quem febris levior tantum comitatur, itinere non tantum levare, sed etiam ex toto tolli. Qui domo proficiscuntur catarrho modico affecti, saepe intra biduum triduumve semet ad sanitatem reductos esse mirantur. Aër enim et exercitatio multo melius, quam quaelibet alia remedia, et catarrhum et alios morbos febriles leviores curare reperiuntur. Exercitatio tamen semper citra defatigationem sit, et, diathesi phlogistica manifeste dominante, nunquam adhibeatur, quoniam, rebus ita se habentibus, periculo non vacat. Diathesi modo posita non tantum vigente, sed pulmonibus affectis, multum auxilii promittunt epispastica. Pulsus arteriarum minus frequentes reddunt, et vim plane antispasmodicam habent, ut levamen, quod ante ullam evacuationem factam saepe adferunt, clare testatur. Rem ita sese habere probant sinapismi adhibiti, qui, licet nihil humoris evacuent, eundem effectum edunt. In senioribus plurimum solent prodesse, spiritum difficilem tollentia, tussimque levantia; quod, cum homines hujusmodi summo periculo semper objiciantur, magni momenti est.

3. *Cathartica.*

3. *Cathartica.*—Rarò hac in febre multum profunt. Namque plerumque per perspirationem vel expectorationem, non saepe per diarrhoeam, morbum tollendum natura curat. Convenit tamen et in hoc, et in omni alio morbo febrili inflammationem habente, alvum, quo et febris ipsa et cursus ad partem laborantem factus immi- nuantur, perpetuo solutam tenere. Hoc optime praestabunt sales medii, cremor tartari, oleum ricini, et similia.

Dum notae inflammationis subsunt, non tantum remedia antiphlogistica supra comprehensa adhibere, sed etiam omnibus liquoribus spirituosis et fermentatis, potissimum e byne confectis, quoniam ad tussim augendam non parum conferunt, caute abstinere debet aegrotus. Minime audiendi sunt, qui, ut ad potationem liberio- rem catarrhi sanandi causa confugiatur, suadent. Ubi quidem subsunt magna debilitas corporis et languor, febricula usum liquoris spirituosissimi immodicum subsequens sudorem universum movere, perspirationem reddere, et ita, paucis in exemplis, morbum depellere potest. Si vero haec ratio mendendi, quod magnopere metuendum, non rite procedat, omnia signa ingravescent, et synochae affectusve pneumonici, potissimum in junioribus et plenioribus, excitari periclitabuntur.

rieltzabuntur. Remedium igitur adeo anceps diligenter vitandum.

Quantum *consilium alterum spectat, ei accommodantur* in primis,

Emetica.—Haec omnes glandulas faucium, laryngis, et bronchiorum insigniter emulgent, et ita secretionem mucii efficacissime promovent, quod inflammationem membranae omnium partium, quas modo memoravimus, tollere potest. Cum nullum sputum est, cumque constriclio spasmodica, ut sub initium morbi plerumque incidere solet, thoracem occupavit, portiunculae tartari emetici ita datae, ut nauseam tantum moveant, vel vomitio plena, sed lenis, mota plurimum prodest; namque, ut aegrotus mucum libere copioseque excernat, quo nihil ad morbum solvendum melius accommodatur, saepe facit. Quinetiam eadem medicamenta in senioribus et pinguioribus, ubi morbus diu mansit, et mucus, qui excreatur, copiosus, sed viscidus, est, plurimum levaminis adferre solent. Aliter quoque profunt, cursum nempe humorum cutem versus faciendo, quod in morbo, qui a perspiratione suppressa magna ex parte oritur, plurimi quidem faciendum. Caeterum haec virtus eorum mox fusius memorabitur.

Huic

Huic consilio quoque respondere existimata fuerunt, scillae, gummi ammoniacum, alkali volatile, et quaedam alia. Sed, iudicio Culleni, nunquam multum profuerunt. Scillae, si unquam utiles fuerunt, vomitionem potius, quam sputum, movendo juverunt.

Quae tertio consilio accommodantur, ea sunt,

1. *Opiata.*—Haec sensibilitatem partium laborantium, quae hoc in morbo semper perquam irritabiles sunt, imminuunt, et tussim multas in horas sedant, quod, ut mucus spissescat, et magis, particulis ejus acribus et salinis per hocce spatium absorptis, blandus evadat, facit. Quinetiam hoc praestando partes, quas mucus acerrimus e naribus faucibusque destillans erostat, sanescere sinunt, quod molestiam aegrotantium magnopere imminuit. Insuper, somnum gratissimum inducunt, et diaphoresin, quae in primis necessaria est, efficacissime promovent. Multi metuunt, ne sputum supprimant; sed nullum hujusmodi effectum ab illis unquam oriri compertus sum. Spissius quidem, quod summo commodo est, reddunt.

2. *Demulcentia.*—Pars oleorum et syruporum, quae tussim levandi et acrimoniam mucii obtundendi causa fuerunt

runt data, longe maxima nihil aliud, quam ventriculum perturbare, vires concoctrices imminuere et febrim intendere videtur. Iis igitur fatius erit ex toto abstinere. Reliquis praestant mucilagines. Et ex his solutio gummi Arabici ventriculo gratissima est, et tussim efficacissime sedat. Mucilagines autem duplicem forsitan effectum edere possunt. Prius fauces ab acrimonia mucii secreti defendunt, ita irritationem, unde tussis proficiscatur, praecavent; deinde sanguinem ingrediuntur, et acrimoniam ibi obtundunt, ut in stranguria facere solent.

Quae consilio quarto conveniunt, ea sunt,

1. *Emetica.*—Ea non tantum mucii excretionem, uti supra comprehensum, promovent, sed cursum humorum cutem versus constanter faciunt. Hoc praestant, sive iis portiunculis, quae nauseam tantum movent, data, sive vomitionem plenam excitantia.

2. *Diaphoretica.*—His omnibus forsitan, diathesi phlogistica ex toto saltemve magna ex parte sublata, praecipit opium, quod diaphoresin lenissimam in tota corporis superficie constanter fere movere consuevit. Sudorificis vero irritantibus, quae aegrotos ad ea imprudenter decurren-

rentes

rentes magis magisque debilitant, et ad morbos multos a debilitate pendentes proniores efficiunt, caute abstinenceatur. Vinum antimoniale per se datum, vel liquido laudano adjunctum, si modice sumatur, votis nostris optime saepe respondet. Actioni ejus, semet aliquot horas lecto mane continendo, favere potest aegrotus. In hoc vero minime perstetur, ne nimia progeneretur debilitas. Hautus quoque frigidae, postquam cubitum itum est, sudorem in multis lenem movet. Periculum ejus vero minime faciendum, si causa sit, cur affectum pulmonis inflammatorium subesse suspicemur. Cum extrema corporis hoc in morbo plerumque frigescant, ad pediluvium et semicupium potest decurri, quae impetum humorum artus inferiores versus facient, cutem relaxabunt, et diaphoresin igitur movebunt. Omni plenitudine manifeste sublata, ad pulverem Doverianum, cui parce dato adjuncta fuerunt diluentia calida, cum successu prospero confugerunt nonnulli.

Morbi autem hoc modo depulsi reditui optime occurrunt balneum frigidum, calor nimius diligenter vitatus, exercitatio sub dio constanter adhibita, potio frigida, cortex Peruvianus. Interim omnia curiose fugienda, quae corpus aut nimis debile, aut nimis plenum efficiunt.